

IOANNIS FABRICII MONTA- NI POEMATA.

Syluarum liber unus.

De consulibus Tigurinis lib. primus.

De Vivilhelmo Thellio Elegia.

CVM EPITHALAMIO IO-
annis Alti Francobergensis.



TIGVRI APVD GESNEROS
fratres.

Nos Deus e& nostri nos coniunxere parentes:

Ipse tuus semper, tu mea semper eris.

*Dum loquitur, collumq; tenet complexus eburnum,
solariq; cupid, blandaq; verba refert.*

*Hymen vtrung; simul lectum componit in unum
Et facit officij debita iura sui,*

*Nunc tu quæ teneris Erato mihi semper ab annis
Dicta&li faciles officiosâ modos:*

*Sacra potes rursum Parnassi visere templa,
Et meriti grates semper habere tui.*

*Quæ decuit cecini, valeant qui plura requirunt,
Quod super est sine me perficietur opus.*

F I N I S.

IOANNES FABRICIUS CONRADUS

Pellicano viro clarissimo

S. D.

Superioribus annis (uir clarissime) cū tu uale-
tudinis gratia, thermas aliquandiu concessis-
ses. ciuesq; nostri, munusculis suis, certatim ti-
bi gratificarentur: cum quod ea gentis nostræ inge-
nita quædam est liberalitas, tū quod singulari ob-
seruantia te colunt omnes: Ego quoq; humanitatē
tuā, carmine hoc meo de Vilhelmo Thellio, ceu
xeniolo quodam demererī cogitabam. Nuper aut̄
cum mea relegerem, officij mei non nihil me sup-
pudebat. Videbam enim tam tenuē carmen, à te ui-
ro honorato, & optime de me merito, uix æquo a-
nimō legi potuisse. Quia tamen munera ipsa non
semper

71 EPISTOLÆ NVNCVPATO RIA.

semper magnitudine & pretio, sed interdum etiam uoluntate ueniunt aestimanda, hanc elegiā quoq; cum cæteris meis carminibus excudendam dedi. In solens omnino est, & admiranda Heluetiæ libertatis assertio: per uulgata tamen & omnibus domesticis historijs satis testata. Lector ergo in ipsam rem potius, quam uerba introspiciat. Ego lumenā rei ut cunque adumbraui. Volui autem adolescentes ingeniosos excitare: siue affines meos Collinos, siue alios meos discipulos, quibus ætas, ocium, præceptores, omnia abunde praesto sunt. Mihi pueru multa fuere negata: Altero tamen anno postquam aliquid temporis hisce studijs tribuere coepi hanc elegiā quoq; de Vulhelmo Thellio conscripsi, cū in sudore & puluere scholastico uersarer. Minime ergo mirū est, si nec mihi, nec alijs satis facio. Carminis autem genus eiusmodi fuit, quod immutare nolui. Tunc enim leuioribus numeris addictus, sola facilitate deleētabar, à qua consuetudine cum nonnulli interea deflexerim, aut integrum carmen retexendum fuisset, aut omnino intactū relinquendū. Sed si, quæ apud nos ingeniorum est ubertas, qui doctòrum adolescentum prouentus, in hanc etiā curā nonnulli incumberent, & Heluetiæ, in primis autem patriæ labores scribendos fusciperent, hanc etiam gens suos Fabios, Curios, Fabricios, Scæuolas, Cocles, & Scipiones esset habitura. Nunc si tu (reuerende pater) laborem meum fauore tuo adiuueris, multorum animos non mediocriter incendes: conatus uero meos maiorem in modum promouebis. Vale uir clarissime, & quod adhuc fas
cis amare me perge. Tiguri ex musæo nostro
calendis Martij anno à Christo nato

M. D. LVI.

E 5

DE VVILHELMO THELLIO ELEGIA.

HEluetiae celebris pietate Rodolphus alumnus
 Principis Habspurga nomen ab arce tulit.
 Cuius in acclivi sita vertice saxa vetusta,
 Despiciunt ripas Ara propinque tuas
 Imperij postquam sed Cæsar adeptus habenat
 Ex humili meruit sceptra tenere loco:
 Haud illum puduit manifesto teste fateri.
 Deberit meritis urbs Tigurina tuis.
 Vindice qua toties pepulisset finibus hostes,
 Ipse quibus impar Marte futurus erat.
 Cuius et auspicijs duxisset et ære cohortes,
 Cum caperet regni tradita sceptra noui.
 Hinc te diuinitjs, amplis et honoribus auxit,
 Militiaq; tibi splendida signa dedit.
 Insuper Heluetios alias sibi fædere iunxit,
 Martia quos acres norat ad arma viros.
 Quorum sepe fidem laudauit, et ardua facta,
 Aspera cum ferro res peragenda fuit.
 Cæsar at hinc postquam superas concessit ad oras,
 Perdidit antiquum gratia prima locum.
 Heluetiaq; diu gens libera, vindice nullo,
 Pertulit iniustos fraude subacta viros.
 Iussa tributa quibus, et vectigalia soluit,
 Et largas dempto fine pependit opes.
 Corpora quin dominis obnoxia facta tyrannis

Pondere

Pondere seruityi succubuere graui.
Iamq; aliquis solito subigens boue rura colonus
Occidit, & proprio sanguine tinxit humum.
Saepè latrocinij, & iniqui præsidis astu,
Cives in medijs occubuere vijs.
Ex stabulis armenta rapi, sua tecta cremari
Fleuit, & ereptos rusticā turba lares,
Vtq; maritorum pollutos cæde penates,
Vt taceam fœdi crimen adulterij.
Inuitis quoties vis est illata puellis?
Et matris frustra virgo vocauit opem?
Hic fuit Heluetiæ status: hæc quibus aspera visa
Forma, quibus cordi iusq; piumq; fuit.
Supplicium vel morte luunt, vel carcere pendunt,
Sunt quibus exilijs pœna parata fuit.
Sed cum pressa malis virtus humana fatiscit,
Auxilio præsens tunc solet esse Deus.
Impia Grisleri fugiunt quem facta tyranni,
(Nam fuit Heluetijs præses & ipse soli)
Arboris à viridi suspensum fronde galerum
A populo voluit prætereunte colli.
Iamq; frequens illum vulgus, formidine pœna,
Fama refert flexo preterisse genu.
THELLIVS una Deo debetur gloria dixit:
Pileus arcendis imbribus aptus erit.
Intumuit præses, totusq; in imagine pœna,
Perfidia pretium filius (inquit) erit.
Dixerat: expediunt famuli mox iussa tyranni.

Proh scelus insanum non timuere nephias.

Ducitur hinc teneris vincitus post terga lacertis

Filius, & patrios sustinuit ante pedes.

Præses ait toto memorabile nomen in orbe

Arte sagittandi nuper adeptus habes,

Vtq[ue] puto gestas ferientes cuncta sagittas,

Figis & in iussso qualibet arte loco.

Si quid habent igitur vulgi præconia veri,

Et potes: Eia age, nunc experiare licet.

Natus ab aduersi sustinetur robore trunci,

(Non procul in molli gramine truncus erat)

Eius & in capitis ponetur vertice pomum.

Quod series telis ingeniose tuis.

Thellius imperio stupuit non secus isto,

Quam si membra sibi diripienda forent.

Nec mirum: sceleris mentem perstrinxit imago,

Omnis & in nato cura paterna stetit.

Quid faceret? rigidum tentat mollire Tyrannum

Paucaq[ue] pro nato uerba rogantis ait.

Præses ait contra, sic sic dabis improbe poenas,

Discret ab exemplo cætera turba tuo.

Nec mora, frondenti signatur limite meta,

Est & uterq[ue] suum iussus adire locum.

Digressurus erat, paruo prius oscula nato

Dat pater, & lachrimis immaduere genæ.

Scena theatrali densatur plurima circo:

Quisquis adest (tacito sed tamen ore) fauet.

Stat puer & largis humectat fletibus ora,

Impediunt

Impediunt teneras vincula dura manus.
Sed pater imperio quod erat parere necesse,
Promit de pharetra spicula bina sua.
Alter a post tergum medio thorace recondit,
Allatura tibi saeue tyranne necem.
Temperat adducto missurus at altera neruo:
Iam spes in puero nulla salutis erat.
Haud mora, per medium malum pennata sagitta
Quærerit iter: patitur vulnera nulla puer.
Scena fauet, nouitate rei commota, sed iræ
Non posuit præses fulmina saeua suæ.
Experiar dixit, quid eæ hæc sibi tela secunda
(Viderat à tergo tela reposta) velint.
Ipse peremissim si natum, Thellius inquit,
Exitio fuerant illa parata tuo.
Dixerat: eæ constat non hæc impune loquitum
Vincula per astrictas sentit adacta manus.
Impositus q̄ rati, periturus carcere fertur,
Per q̄ Lucernatum stagna vehendus erat.
Dum vice remorum confestim longius itur,
Iamq; ferè medio gurgite puppis erat.
Colligitur subito ventis surgentibus imber,
Et rapit instabilem per vada cœca ratem.
Iamq; fatigatis humero sub utroq; lacertis
Nauita, sollicitum deficit inter opus.
Præses in ambiguo quid nam iubeatue petatue,
Namq; laborantis pars quoq; puppis erat.
Si quis adest clamat nauis sibi sumat habendas,

67 DE VVILHELMO THELLIO

Qui tamen id posset THELLIVS unus erat
 Vincla tibi dementur ait, nos eripe leto,
 Si modo nobiscum non tibi vile mori.
 Reditus ipse sibi clauo subit: altera cælo
 Exhibita facies cœperat ire die.
 Est scopulus, premit uida latus: pars plurima summis,
 Extat aquis: illuc THELLIVS ire parat.
 Quo simul ac venit saltum dedit: ipsa carina
 Ita per immensus concita fertur aquas.
 Nec mora longa fuit, terræ fortissimus heros
 Sistitur, & quid agat resq; locusq; docent.
 Conuocat ausuros patriæ succurrere, quorum
 Pectora non dubia nouerat ante fide.
 Qui coeunt, feriuntq; datæ rata fœdera dextræ,
 Inq; vicem sibi dant, accipiuntq; fidem.
 Post etiam præses portuq; domoq; receptus,
 Tandem qua meruit morte perire, perit.
 Sic Dens iniusti vindicta, sic arbiter æqui,
 Heluetiam merita cæde piauit humum.
 Sic bona pacato redyt concordia vultu,
 Indigenis sic sunt redditæ sceptræ viris,
 Qui nunc unanimes rerum moderantur habendas
 Et domito paßim nomen ab hoste ferunt.

F I N I S.

